



Disputatio juridica inauguralis de legatis

<https://hdl.handle.net/1874/341847>

19

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS,
DE
L E G A T I S,
QUAM
FAVENTE DEO OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in JURE honoribus, & Privilegiis ritè, &
legitimè obtainendis,

Eruditorum Examini subjicit.

THOMAS PELS, TH. F. NEOM. GELRUS.

Ad diem 21. Octobris hora locoque soliris.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, clo lcc Lxxxvi.

*Amplissimis Doctissimis ac Virtute Maxime
Conspicuis VIRIS*

D. THOMÆ PELS, Med. Doct.
experientissimo & subtilissimo Poliatro ac in inclyta
Neomagensium Academia Professori Ordinario pa-
renti suo in æternum colendo.

D. PETRO vander KAY, In Neo-
magenſi Ecclesia, quæ Remonstrantium dicitur Pa-
ſtori fidelissimo, Avunculo ſuo plurimum vene-
rando.

D. THEODORO vander GRAEF;
Med. Doct. pratico fidelissimo, nec non Serenissimi
Electoris Brandenburgici Medico Aulico, Fratri Utri-
no eoque nomine mihi Charissimo

D. JOHANNI vande GRAEF,
Apud Rottrodamenses Mercatori honestissimo Fra-
tri Utrino ſemper amando.

*Hoc inauguraſe exercitium offert &
inſcribit*

THOMAS PELS,

Anctor.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGATIS.
THEISIS I.



Uoniam omnis ut ait Tullius quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione Proficisci ut intelligatur quid sit id de quo disputetur, lib. i. offic. in princ. incipiam à definitione quam sic exhibeo. Legatum est donatio quædam à defuncto relata ab hærede præstanda. §. i. Instir. de Legat.

I I.

Genera legati olim erant quatuor vel legabatur per vindicationem, vel per damnationem vel finendi modo vel per præceptionem §. 2. Inst. h.t. vindicationis verba hæc sunt *do lego illi solidos centum* quæ vindicatio tantum efficiebat ut legatarius simul ac ab hærede adita esset hæreditas, dominus rei legatæ fieret. Ita ut adversus quemvis actione in rem uti posset. Damnationis

A 2 verba

4. DISPUTATIO JURIDICA

verba sunt *Damno te hares illi dare solidos centum.* Hinc legatario competebat adversus hæredem in personam actio quæ dicitur ex testamento. *Sinendi modo damno te hæres ut L.* Titio permittas illam rem accipere sibique habere, unde actio ex testamento competebat Præceptionis formula hæc erat. *L.* Titius mihi ex parte hæres illam rem præcipito, aut præcipuum habeto. Sic ut non recte ei qui non ex parte hæres esset per præceptionem aliquid relinquaretur nam cum dicitur *præcipito* eo ipso presupponit partem aliquam hæreditatis, & vult eum cui per præceptionem aliquid reliquit, habere hæreditatis partem; & hoc quod ita relictum erat petebatur judicio familiæ erciscundæ. Hæc olim. Verum Imperatores Constantinus, Constantius & Constans hæc mutarunt in *l. 21. C. b. t.* sic ut non necessaria sit hodie illa verborum obseruantia, sed liceat legatario quibusunque verbis ei aliquid relictum sit, id persequi, sive actione in rem, sive actione in personam aut etiam hypothecaria *l. 1. C. Commun. d. legat.* Personalis datur legatario ex quasi contractu aditionis adversus hæredem ad petendam rem qualemcumque, corporalem aut incorporalem, etiam nomina & facta & quicquid legari potest, aut ejus estimationem. Vindicatio conceditur legatario ex jure dominii, quod ipso jure ei sine traditione quæsum est, contra quemlibet rei legatae possessorem, ut eam sibi restituat, si nempe res corporalis sit & propria testatoris fuerit quoniam aliter actio in rem terminos suos non obtineret arg. *l. 54. ff. d. R. f. l. 20. ff. d. acqr. rer. Domin.* Hypothecaria competit legatario vi generalis hypothecæ quam habet ex *d. l. 1.* in universas res hæreditarias (defuncti inquam) non hæredis, contra quemvis carum possessorem, ut ex legatario præstentur, quatenus opus est ad legati præstationem.

I I I.

Magnæ olim inter legata & fideicomissa erant differentiae: nam legata directis, fideicomissa precariis verbis relinquabantur *Ulpianus infragm. tit. 24. pr. tit. 25. princ.* legata non nisi verbis latinis, fideicomissa quibusvis relinquabantur *Ulp. d. tit. 25. l. 11. impr. ff. d. legat. 3.* ante hæredis institutionem in utiliter antea legabatur,

gabatur, fideicommissum recte relinquebatur *Vlp. d. tit. 25. §. 34.*
Instit. b. t. Post mortem hæredis aut legatarii inutiliter legabatur, fideicommissum vero poterat relinqui *§. 35. Instit. b. t. l. 5. §. 1.*
ff. de legat. 3. Fideicommissum nutu poterat relinqui dummodo is
 nutu relinquit qui loqui potest, & morbo loqui impeditur, legatum
 nutu relinqui non poterat *l. 21. prin. ff. de legat. 3. Vlp. d.*
tit. 25. legatarius non poterat olim legare sed quidem fideicomm.
Princ. Instit. de singul. reb. per fideicomm. rel. non poterat legari nisi
 codicillis testamento confirmatis fideicomissa reliquebantur
 etiam codicillis non confirmatis *l. 43. ff. d. manum. testam.* sed scrupulosa illa observantia in legatis est sublata *l. 21. C. d. legat.* sic
 ut legata sint exæquata fideicommissis *l. 1. ff. b. t. & §. 3. Instit. b. t.*

I V.

Ut legatorum materia breviter & dilucide pro instituti nostri ratione explicetur, videamus primo quæ res legari possint. Notandum hic primo tales res quæ non sunt in rerum natura, sive actu sive potentia in utiliter legari *l. 108. §. 10. ff. d. l. legat. 1.* Dico actu sive potentia, quia quæ aliquando in rerum natura sperantur futura, licet actu nouidum sint recte legantur, uti fructus qui ex illo fundo nascuntur vel quidquid ex ancilla mea natum erit *§. 7. Instit. b. t. l. 24. in pr. ff. de legat. 1. l. 73. ff. d. verb. obligat.* an tale legatum sit pure an conditionale videamus. Distinguendum hic puto, ex dicendum: tale legatum quo ad transmissionem haberi pro puro, quia quamvis vivo legatario nihil sit natum, hæredes tamen legatarii fructus quandocunque natos petere possunt *l. 25. §. 1. ff. quand. Dies legat. ced. l. 6. §. 1. ff. b. t. l. 99. ff. d. condit. & demonstrat.* videtur conditionale respectu dispositionis, obligationis, & actionis, quatenus antequam quicquam natum est præmature agitur *l. 73. d. ff. verb. oblig.* nam quando fructus nascituri legati sunt, si nihil nascatur nihil quoque debetur, vel si non nascatur tantum quantum testator legavit, hæres non tenetur ad præstationem totius, sed ad id quod natum est, perinde ac si testator quasi per modum taxationis, si hoc, vel

6 DISPUTATIO JURIDICA

Si tactum fuerit, legasse videatur: arg. l. 8. §. 2. ff. de legat. 2. l. 5.
d. Trit. vin. legat.

V.

Porro non tantum inutiliter legantur, quæ in rerum natura non sunt, sed & quarum dominium legatarius acquirere non potest, aut unde nulla ad legatarium perventura est utilitas, quia tunc deficit finis legati, quod multis modis fieri potest, quorum primus est, si res legata sit extra commercium. Extra commercium res sunt Absolute & simpliciter, vel secundum quid, vel ex accedenti: absolute & simpliciter extra commercium res sunt, quæ nulla ex causa possunt acquiri, neque intervivos, neque per testamentum aut aliam ultimam voluntatem, ut sunt res sacræ, sanctæ & religiosæ, quæ si sunt legatæ, ne æstimatio quidem debetur §. 4. *Instit. b. t.* secundum quid extra commercium sunt res, quæ quidem ad usum hominum sunt destinatæ, sed non omnium, quare si quis Salustianos hortos qui sunt Augusti vel fundum Albanam, qui Principalibus usibus deseruit, legaverit, furiosi est, talia legata testamento adscribere. Item si Campum Martium aut forum Romanum, vel ædem sacram aut prædia Cæsaris legaverit, ne æstimatio quidem debetur l. 39. §. 8. 9. & 10. ff. d. legat. 1. Ex accedenti extra commercium res sunt, quæ sua natura quidem possunt alienari, sed ob speciales juris rationes alienari prohibentur, ut sunt columnæ, marmora & alia ædibus juncta quæ à senatu detraхи vetantur, quæ si fuerint legatæ, earum ne æstimatio quidem debetur. l. 41. §. 1. & seqq. ff. d. legat. 1. addel. 42. & 43. eod.

V I.

Quod legatarius rei legatæ, dominium acquirere non possit, & tunc fit, quando ei pure legatur res, quæ tempore facti testamenti fuit in proprio ipsius patrimonio, quia quod proprium est ipsius amplius ejus fieri non potest §. 10. *Instit. b. t.* & licet postea legatarius eam rem alienaverit, nec ipsa res nec æstimatio ejus

ejus debetur d. §. 10. quia legatum quod ab initio non consistit ex post facto convalescere non potest l. 41. §. 2 ff. de legat. i. ut tamen tale legatum sit inutile hoc desideratur, ut res ita sit legatarii ut non sit onerata, nam si onerata est, valet legatum, quia res tunc isto onere liberatur, & postea pleno jure sit legatarii l. 86. in pr. & §. ult. ff. de legat. i. Quod si res aliena legata fuerit & ejus rei legatarius viro testatore dominus factus fuerit, siquidem ex causa' emptionis', actione ex testamento pretium consequi potest §. 6. Inst. b. t. l. 84. §. 5. ff. de legat. i. Quid si ex lucrativa causa legatarius rei legatae dominium nactus sit, veluti ex donatione vel alia simili causa? Placuit eum tunc agere non posse, quia traditum est, duas lucrativas causas in eundem hominem & eandem rem concurrere non posse d. §. 6. l. 19. ff. d. obl. & alt. l. 82. ff. d. legat. i.

VII.

Tandem est inutile Legatum, si inde nulla ad legatarium pervenit utilitas, *ut supra dixi*, quia legatum est donatio & titulus lucrativus. Hinc debitor si creditori suo quod debet legaverit in utile est legatum §. 14. Inst. b. t. nisi plus sit in legato quam in debito. Quid ergo si in diem debebam aut quia forte stipulatus eras centum solidos tibi dari post decem vel duodecim annos, aut forte tibi sub conditione debebam, si nempe navis ex Asia veniret. Valet tale legatum propter representationem: representare autem est ante diem aliquid praestare, aut antequam aliquid debeatur solvere. *Suet. in Claud. cap. 34.* Tormenta quaestionum penasque Parricidiarum representabat. *idem in Augusto cap. 101.* Praetorianis militibus singula millia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecentos nummos quam sumam representari jussit. *vid. l. 1. §. 2. ff. d. dor. prelegat.* Creditor enim id lucratur, ut statim id accipiat, quod post decem vel duodecim annos, vel existente primum conditione debebat, vel quod nunquam conditione non existente accepisset. d. §. 14.

VIII. Se-

8 DISPUTATIO JURIDICA

VIII.

Sequitur ut de dote legata videamus. Dotem ab uxore accepi, constante matrimonio, moriens ei legavi, quæritur an valeat hoc legatum: & videbatur primo non valere. Ratio dubitandi erat, quia dos proprium, est uxor's patrimonium & maritus dicitur debitor uxor's ratione dotis acceptæ, sic ut dos quæ propria est uxor's, amplius ejus fieri non possit, arg. §. 10. b.t. Valet tamen legatum, quia plenius est legatum dotis, quam actio de dote §. 15. *Instit. b.t.* nam legatum statim à morte testatoris solvitur; dos autem non nisi intra annum l. unica §. 7. vers. exactio C. d. Rei uxor. act.

IX.

Vidimus quæ res legari non possint, unde è contrario patet quæ res legari possint, nempe quæ sunt in rerum natura, quæque à legatario possunt acquiri eidemque utilitatem adferre. Non solum igitur legari potest res propria testatoris, sed & aliena §. 4. *Instit. b.t.* rem suam testator recte legat putans esse alienam quia plus valet quod in veritate est quam in opinione. §. 11. *Instit. b.t.* hæredis rem quoque utiliter legari constat ex l. 86. §. 3. ff. *de legat. i.* Res etiam aliena recte legatur, modo testator sciat esse alienam quod à legatario debet probari, sic ut hæres cogatur eam redimere, aut æstimationem ejus præstare §. 4. *Instit. h. t. l. 39.* §. 7. ff. *d. legat. i.* Sed si testator ignoraverit esse alienam non valet legatum, nisi proximæ personæ, vel uxor'i, vel alii tali personæ datum sit, cui legaturis esset, & si scivisset rem alienam esse l. 10. *C. d. legat.* quod si testator rem suam legaverit, posteaque eam alienaverit? distinguendum: aut testator rem alienavit animo adimendi nulla cogente necessitate, quo casu non debetur legatum, aut necessitate rei familiaris compulsus alienavit, tunc non videtur animo adimendi fecisse, quo casu valet legatum, sic ut hæres cogatur eam rem redimere vel pretium ejus præstare §. 12. *Instit. h. t. l. 18. ff. d. adimend. legat.*

X. Præ-

X.

Præterea non tantum corporales res sed & in corporales recte legari possunt ut servitutes, obligationes & nomina & ideo quod defuncto debetur potest alicui legari §. 21. *Instit. b.t. E.Gr.* Centum quæ mihi Titius debet, hæres meus sempronio dato sic ut hæres teneatur actiones legatario eedere, nisi exegerit vivus testator pecuniam, quo casu extinguitur legatum d. §. 21. quia soluto debito nulla superest actio. Dico quod hæres tenetur cedere actionem, hoc ideo dico quia ipse legatarius actionem non habet quoniam actionum jura hæredi & in hæredem competit. Sed quid dicendum si quis debitori quod debet legaverit; valet tale legatum & vocatur legatum liberationis de quo vid. §. 13. *Instit. b.t. & t.t. ff. d. liberat. legat.*

X I.

Sequitur nunc ut de interitu rei legate videamus. Queritur igitur quid dicendum sit si res legata perierit: distinguendum si casu fortuito, aut facto alieno res legata, perierit, nulla mora ab hæredi facta, ratio dictat legatarium, qui dominus est (nam simul ac testator decepsit efficetur rei legata dominus) ferre periculum & damnum rei suæ l. 36. §. nlt. ff. d. legat. 1. sed si facto hæredis res legata perierint, tenetur haeres ejus rei estimationem præstare l. 47. §. 2. ff. d. legat. 1. si pro parte res interciderit, regula est quod superest recte à legatario peti, nam tota re legata, singulæ ejus partes legatae creduntur, quod exemplo gregis ad unum pecus redacti probat Justinianus in §. 18. *Instit. b.t.* si res principales cum accessoria legata est, re principali non existente, ne accessoria quidem debetur, nam ait JCTus in l. 129. §. 1. l. 178. ff. d. R. f. cum principalis causa non existat, plerumque ne ea quidem quæ sequuntur locum habent & ut ait Gajus in l. 2. ff. d. pecul. legat. quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur cum principales res peremptæ fuerint, quod etiam probat Justinianus in §. 17. *Instit. b.t.* ubi agit de servo cum peculio legato, quod non debetur

10 DISPUTATIO JURIDICA

tur, si servus vel est mortuus vel alienatus vel manumissus, quia peculium absque servo est nullum idem in penu legata & absunta obtinet, sic ut ne vasa quidem debeantur *l. 2. & 4. ff. de penu legat.* aliter tamen in ancilla cum suis natis legata obtinet, nam ancilla sola si non sint liberi, & liberi soli si non sit ancilla debentur *dicho §. 17. l. 26. l. 63. ff. d. legat. 1.* quia hominis dignitas non patitur, ut homo sit in fructu vel homo homini accessio.

XII.

Proximum nunc est ut videamus de personis, quibus legari possit. Nam qui legare possint vix meretur tractari, cum qui & testamenta facere possunt, iidem & legare possint *l. 1. ff. d. legat. 3. l. 2. ff. d. legat. 1.* nam cui permisum est principale, eidem accessorium non est denegandum, & contra cui non est testamenti factio activa, eidem non est legandi, licentia, ut filiusf. captivus, servus, furiosus, prodigus & similes qui non testantur; non etiam legare possunt *d. l. 1. in princ. & d. l. 2.*

XIII.

Relinquentur illis legata cum quibus est testamenti factio passiva, id est qui hæredes possunt institui §. 24. *Instit. b. t.* Incertis igitur personis legari non potest §. 25. *Instit. b. t.* Ratio est quia certum debet esse testatoris consilium. Incerta autem personam est de qua testator rogatus nihil certi potest respondere, vel quam incerta opinione animo suo subjeciebat *d. §. 25.* veluti si quis ita dicat. qui prior ascendit Capitolium ei hæres meus illum fundum dato: legatum non valebat, eo quod plerumque ob merita legata relinquuntur, vel ex certa animi affectione, quam testator erga legatarium habet, idque adeo fuit observatum, ut ne militibus quidem, quibus multa sunt concessa, quæ aliis denegata, licitum fuerit incertis personis, legare *d. §. 25.* quod tamen aliquo modo à Justiniano est temperatum, sic ut liceat ex certis personis sub certa demonstratione incertæ personæ legare. V.G. ex cognatis meis qui nunc sunt, si quis

filiam

I N A U G U R A L I S . II

filiam meam uxorem duxerit illi hæres meus eam rem dato *d. §.*
 25. Legatur etiam utiliter incertis personis ad pias causas, nam le-
 gatum pauperibus & Ecclesiis relictum valet *l. 24. C. d. Episc. &*
Cleric. Ratio est quia quando testator de Ecclesiis vel pauperibus
 legat, non de certis personis quidem cogitat, sed tantum hoc
 vult, ut pauperibus distribuantur elemosynæ certa tamen sint
 exercenda pietatis subjecta : huc etiam facit *l. 43. ff. d. relig. &*
sumpt. fun. ubi dicitur quod summa ratio est quæ pro re-
 ligione militat.

X I V.

Tandem & ultimo loco videamus quibus modis legata extin-
 guuntur adimuntur & transferuntur. Extinguitur legatum,
 cum legatarius ante testatorem moritur, quia ejus personam re-
 spexit, testator, non etiam hæredis *l. 10. ff. d. adimend.* vel
 transferend. legat. si res legata sine facto hæredis perierit, vel
 commercio eximatur *§. 16. Instit. d. legat.* cum res ex alia causa
 lucrativa ad legatarium pervenit *§. 6. Instit. b. t.* conditione non
 existente *l. 2. ff. d. condit.* & demonstrat. si testamentum ruptum
 irritumve sit. *l. 17. d. Injust. rup.*

X V.

Adimitur legatum quando testator voluntatem mutat, (nam
 ambulatoria est hominis voluntas, ad extremum usque vitæ ha-
 litum *l. 4. ff. d. adimend. legat.*) quod fit vel expresse vel tacite:
 expresse, quando testator verbis contrariis, veluti do lego, non
 do, non lego, vel quibuscumque aliis, legatum prius datum,
 adimit *§. 1. I. b. t.* Tacite quando non ex verbis, sed ex facto,
 contraria testatoris voluntas colligitur, quod fit diversis modis:
Primo propter graves & capitales inimicitiæ inter testatorem &
 legatarium ortas, nam levis offendio non nocet. *l. 7. §. ult. l. 22.*
ff. d. adimend. legat. *Secundo*: mutatione formæ rei legatæ, quod
 accedit, destructione, dissolutione atque interitu corporis legati,
 nisi probetur testatorem aliter sensisse *l. 65. §. ult. ff. de legat. I.*
Tertio

Tertio alienatione rei legatæ, quando testator sponte & nulla necessitate coactus rem legatam alienat, vel alii donat, & licet eandem postmodum redemerit l. 15. & 18. ff. d. adimend. legat.

X V I.

Transfertur legatum quatuor modis: & quidem primo à persona in personam, cum testator dicit, fundum, quem Titio Legavi, Scio Do. lego §. ult. I. d. adimend. legat. Secundo ab eo qui dare iussus est ut alius det. E. Gr. aliquis duos instituit hæredes, & ita legat: Primus scriptus hæres Mævio centum dato: postea transfert hoc legatum & dicit: illa centum quæ volui à primo Mærio dari, secundus dato. Tertio. Cum res pro re datur, ut pro fundo decem aurei. Quarto & ultimo, cum quod pure datum est, transfertur sub conditione l. 5. & 6. ff. de adimend. & transferend. legatis.

C O R O L L A R I A.

I.

Communis error non facit Jus.
II.

Filiusf. SCto Macedoniano renuntiare non potest.

III.

Actio doli non competit ubi alia superest.

IV.

Plures dantur ex hæredationis casuæ, quam quæ exprimuntur in N. 115. Cap. 3.

F I N I S.